

cm 2

FELICI OMINE
DE STRENIS

Von

Neujahrs-Geschenken

SUB PATROCINIO
NOBILISSIMI DOMINI

D. JOHANN. FRIDERICI SCHARFI

MÆCENATIS SUI AC BENEFACTORIS
BENIGNISSIMI, COLENDISSIMI

IN ELECTORALI SAXONUM UNIVERSITATE
DISPUTATIONEM HANC

OFFERT

JOHANNES FRITSCHIUS

BORCKERSDORF-LUSATHS.

AUCTOR

A. D. III. NON. JAN. ANN. clc lxxv.

H. L. Q. S.

WITTEBERGÆ EX TYPOTHETEO
HAKIANO.



FELICI OMNIA
DE & FERVIS

BO
S
NOSTRISSIMIS DOMINI
D. JOHANNI FRIEDRICH SCHNARFI

M. B. C. E. N. A. T. I. S. M. A. C. K. E. N. N. I. A. C. T. O. R. I. S.
R. E. N. O. M. I. N. I. M. C. O. N. S. I. D. I. A.
I. N. E. L. E. C. T. O. R. I. A. S. A. C. A. D. E. M. I. A. S. T. I. T. U. T. A. T. A.

D. I. S. P. U. T. A. T. I. O. N. E. M. H. A. M. I.
O. M. N. I. U. M.
J. O. H. A. N. N. E. S. F. R. I. T. S. C. H. I. U. S.

B. O. R. I. S. S. I. M. O. S. L. I. S. T. U. S.

A. M. P. T. O. R.

A. D. M. I. S. S. I. O. N. E. M. A. N. N. I. A. S. I. D. E. A. N. I. A.

H. F. O. S.

WITTEBERGAE EX TYPOGRAPHICO

HALLINGO.





ANNI PRINCIPIUM PROSPERET IPSE DEUS!

§ I.

Veteres Kalendis Januariis sibi invicem quæque fausta solebant apprecari, ut annare perennare feliciter liceret. Atque unicè operam dabant, ut tristia & feralia ne nominarent quidem, sed bona tantùm verba dicerent, læta inter se omnia & amica loquerentur. Videatur *PLINIUS* lib. 28. *H. N.* c. 2. *HERODIANUS* lib. 1. c. 16. *OVIDIUS* l. 1. *Fastor.* & l. 4. *de Ponto* El. 4. *LUCIANUS* in *Pseudolog.* T. 3. *HOSPINIANS* de *Orig. Fest. Rom.* c. 8. f. 55. Aliiq; quos citat *PRÆSES* in *Σχεδ.* de *Festo N. A.* in pr. Munera etiam ultrò citroque missiculabant. Quæ enim corde concipiebant vota, quæ bona verba proferebant ore, muneribus obsignare volebant. Docet id *SYMMACHUS* lib. 10. *Epist.* 27, ibi: *Kalendas anni auspices, quibus mensium recursus aperitur, impertiendis Strenis dicavit Antiquitas.* Et *HERODIANUS*: *Orto, inquit, eo festo, anno nimirum auspiciū faciente, Romani potissimum se invicem colunt, salutantq; & numismata alteri missitant; & communicatione mutuâ pulcherrimarum quarumq; rerum, quas terra & mare fert, oblectant, exhilarantq;.* Add. *ROSINUS* lib. 4. *Antiq. Rom.* c. 5. & *ALB. HUNGER.* part. 2. *Orat.* 20. Vocitabant autem ista munera propriè *STRENAS*, quemadmodum alia aliàs munera, sive certis personis, sive statis temporibus dari sive, sua peculiaria etiam nomina obtinuerunt, Unde ille *Nuptialitiorum, Natalitiorum, Sponsalitiorum, Xeniorum, Donativorum, Saturnalitiorum & Ἀποφορήτων*, varios apud Auctores numerus. Vide-sis *PRÆSIDIS* *Disputation Jurid. de Donationibus*, §. 2. ibiq; allegatos Auctores: & *CÆLI RHODIGINI* *Antiq. Lect.* lib. 28. c. 18. & l. 27. c. 17. In Stre-

narum originem earumq; Antiquitatem paulò penitius inquirere animo meo nunc sedet. Quod dum aggredior, favorem mihi Tu-um, LECTOR BENIVOLE, postulo, quem non negabis, spero. DEUS quoque conatibus meis suum aspiret FELICITER!

§. 2. Ne verò in disputantium leges impingam, à Definitione auspicatus, quid potissimum Strenarum nomine hìc veniat, evolvam. Definitio, vel potius describo Strenas cum *SEXTO POMPEJO FESTO* Grammatico, l. XVII. ita: *Strenae sunt munuscula, quae dantur die religioso (h. e. Kalendis Januariis) boni ominis gratiâ.* Nomen ipsum quod spectat, de ejus originatione non omninò idem sentiunt Auctores. *FESTUS* dictam vult Strenam quasi Trenam, à numero, quo significetur alterum tertiumque venturum similis commodi, praepositâ literâ S. ut in Lite & Loco antiqui etiam solebant, dicentes non Loco & Lite, sed Sloco & Slite. *Conf. MATTH. MARTINIUS in Lexico Etymol. p. 3766.* Facit huc *POMPONII ATELLANARII* versus: *Asside si qua veniet Strena strenae.* Ad stipulatur magnus ille *SCALIGER Lib. 3. Poët. c. 24 p. 280.* quâvis in originationis ratione assignanda videatur paulò diversus. Ipsa ipsius verba haec sunt: *Non datur beneficium inter benè institutos cives spe tantundem recipiendi, sed simplici animo, non operâ venali. Idcirco Gratiae & nuda sunt & tres, ut qui beneficio prior certat: ubi quippiam vicissim recipitur, de integro itidem refundat. Ea de causa prisca Latini Strenâ quasi Trenam sunt interpretati: à tertia officii representatione.* Alii, ut *NONIUS MARCELLUS, SYMMACHUS, & CASP. BARTHIUS* Strenam deducunt à Strenuitate, paulò ante relatum Pomponii versum citantes; at non *Strenae* legentes, sed *strenuè*, quod nimirum Viris strenuis ea, ob virtutem quasi insigne, debeatur. *Vid. Marcell. lib. 1. n. 55. Symmach. l. 10. Epist. 35. Bartb. Adversar. lib. 53. c. 12. f. 2502.* Alii à Dea Strenua seu Streniâ, quam ex prisca instituta Romani colebant, cujusque officium ac munus erat, annotante *AUGUSTINO lib. 4. de Civ. Dei, c. 16.* contra Deam Murciam, quæ praeter motum non moveret, ac faceret hominem, ut Pomponius ait, murcidum h. e. nimis desidiosum & in actuosum, quasi pugnare, hominemque strenuum facere, quem admodum

modum & Agenoriæ Deæ publica faciebant sacra, quæ ad agendum incitaret, & Deæ Stimulæ, quæ ad agendum ultra modum stimularret. SYMMACHO hic vocis ortus arridet, ab exortu penè urbis Martiæ Strenarum usum adolevisse, scribenti loc. cit. *authoritate Tatii, Sabinorum primò Regis & Romuli hostis, post socii & Romano in regno collega, qui verbenas felicitis arboris ex luce Strenuæ anni novi auspices primus accepit, & subditis suis boni ominis gratiâ donavit.* Add. LIVIUS lib. 1. c. 10. & 13. Obscurâ in re si quid conjectandum, facilè postrema obtinuerit opinio meum etiam calculum, cum NONII plane inverti possit, ut non tam à strenuitate Strena, quàm à Strena strenuitas & strenui Viri dicantur, à munere virtutis testimonio & hortamento nomen adepti: FESTI verò non nisi cum SCALIGERI interpretatione admitti. Cæterum Strena Græcis dicitur εὐαρχισμός, ut videre est apud CYRILLUM, fortè quia εὐαρχισμὸν i. e. bonum & felix initium voverent optarentque: quod votum cum munere erat conjunctum. V. VOSSIUS in Lexic. Etym. Ling. Lat. voc. Strena. Reprehendit olim ULPIANUM quidam Cynulcus apud ATHENÆUM, lib. III. quod Strenas ἐπινομίδας appellasset, nempe exprobanis ei χρινοφωμίαν. Quod Vir doctus quidam perperam eò refert, atque si per religionem nefas fuisset, Strenam alio quam suo Romanis indigenâ nomine nuncupare. Defendit autem eum CASARBONUS, Animadvers. in Athenæum lib. 3. c. 18. Latinis nonnullis Strenæ Xeniorum nomine veniunt: verùm an rectè Strena ac Xenium pro Synonimis habeantur, haud immeritò dubito; contrarium enim, quæ evincant, plurima sunt. Xenia siquidem ἀπὸ τῶν ξενῶν dicebantur, quia Veteres hospitibus munera offerebant. Xenia etiam pro minervali Advocatorum seu supernumerariò munere accipiuntur, ut tradit PLINIUS lib. 5. Epist. 14. Adeat, cui plura hæc de re legerelubet, prolixè differentem DEMPSTERUM in Paral. ad Rosin. Antiq. Rom. c. 13. p. 39. Vocabantur quoque Strenæ Apophoreta; sed malè hæc duo confunduntur: nam munera diebus Saturnalibus remissa dicebantur Apophoreta, de quibus vide-sis LIPSIUM lib. 1. Saturn. c. 16. DOMIT. CALDERINUM ad Mar-



tial. 13. Epigr. 27. In Lingua nostra Germanica metonymicè nobis dicitur Strena das Neu Jahr / quasi donum, quod sub Novi Anni auspiciis datur, *SPEIDELIUS in Specul. var. Jurid. Polit. h. v.* Pueri enim ac puellæ à Patrinis suis Strenas petere solent, *holen bey den Tauff-Matthen das Neue Jahr;* quemadmodum alicubi in Festo Paschatis das Schöne oder Rothe Ey/ uti nominatur.

§. 3. Mittendarum Strenarum Origo unde & quis Usus, meritò pro temporis conditione quæritur? Duo igitur jamjam expedienda & explananda veniunt. Originem quod attinet, nova illa non est, sed multis retrò Seculis iste ipse mos viguit, tum si precationem, tum si munerum istorum respicias oblationem. Precatio boni ominis causâ instituta in primitiva Ecclesia in usu erat quotidiano, ita ut obviis bona quæque precarentur, & post ab ipso CHRISTO discipulis demandata *Matth. 10. v. 12.* Quidni ergò hoc initio Novi Anni illos vel maximè observasse verisimile erit? Munerum porrò oblatio, quæ Strenæ, à Romanis inventa esse videri poterat. Ab exortu penè Urbis Martiæ, inquit *SYMMACHUS lib. 10. Ep. 20.* Strenarum usus adolevit autoritate Tatii Regis. Cum Symmacho hac in parte facit *METELLUS Monachus Germanus Carm. 5. Quirinal.* quem citat *BARTHIUS in incomparabili, ut ipse vocat, Adversariorum Opere, lib. 53. c. 12. f. 2502.* Conferatur quoque *HOSPINIANUS de Orig. Fest. c. 8 f. 56. a.* & *TURNEBIUS lib. 10. Adv. c. 26. p. 201.* Si *OVIDIUM* consuluerimus & *MACROBIUM*, vel ipsis Saturni & Jani (quem *BEROSUS A. M. 1926.* vixisse tradit) Strenarum usus viguit temporibus, seculis ante Tatium ferè tredecim. *Vid. Ovid. l. 1. Fast. Macrob. Saturn. l. 1. c. 7.* Fallit autem & fallitur *POLYDORUS VIRGILIUS* in suis de rerum invento-ribus libris, quando à Romanorum Imperatorum consuetudine, quæ nummos argenteos vel aureos in populum, quò sic futuræ liberalitatis signum ab ipsa statim dignitate initâ appareret, spargebant, etiam usum dandi Strenam, h. e. munus in principio Anni boni ominis gratiâ, dimanasse ait, *lib. 5. c. 2.* Nam qui jam à Tatii usque ætate per septem ferè secula frequentatus erat

erat mos, ab Imperatoribus non demum cœpit, sed ab iis unâ-
que populo Romano est conservatus & hæc usque ad tempora
traductus & corrivatus.

§. 4. Offerebantur itaque Magistratibus Strenæ à Subdi-
tis, & his vicissim ab illis, hi que sese mutuò iisdem donabant.
Non verò unius erant ejusdemque generis omnes. Consuli-
bus & Magistratum ineuntibus lauri folia cum ischadibus à po-
pulo esse data Januariis Kalendis, *CÆLIUS RHODIGINUS* me-
morat *lib. 5. Lect. Antiq. c. 7.* Nam, Laurus efficax esse adversus
venena & sanitatem conciliare credebatur. Aliàs priscorum
Romanorum munera palmarum erant poma, quæ Cariotæ seu
Caryotides appellantur, caricæ & mella, unde tunc Dulciaria
dicebantur in omen futuræ suavitatis ineuntis Anni, annotan-
te *HOSPINIANO cap. 8. de Fest. Orig. f. 55. b.* Temporis au-
tem progressu pauperum tantum hæc facta sunt dona, quanquam
tamen etiam inaurata. Sulmosis ille Poëta *OVIDIUS* & inge-
niosissimus Epig. iambinatista *MARTIALIS* hæc nos docent, iste
colloquium inter se & Janum edisserens, *lib. 1. Fast.*

*Quid vult, inquit, palma sibi, rugosâq; carica, dixi,
Et data sub niveo condita mella cado?*

*Omen ait (Janus) causa est, ut res sapor ille sequatur
Et peragat cœptum dulcis ut annus iter.*

Hic *l. 13. Epigr. 27.*

*Aurea, ait, porrigitur Jani caryota Kalendis,
Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.*

Itemque *l. 8. Epigr. 33.*

*Hoc (nimirum aureo) linitur sputo Jani caryota Kalendis
Quam fert cum parvo sordidus esse cliens.*

Auctâ igitur Romani Imperii potentia & majestate, & tam dirâ
habendi cupidine Civium animos non leviter incessente, quàm
luxuriâ stimulante, Dulciariis hisce paupertinæ relictis turbæ
ditiores aurea argenteaque ultrò mittebant munera, *V. ASTE-
RIUS in Homil. contra Fest. Calendarum f. 832. edit. Lugdun. & HE-
RODIANUS lib. 1. c. 16.* Et hæc vocabant Stipem, nummum si-
gnatum, interprete *FESTO l. c.* Luculenti de hisce testes *SVE-
TONIUS, OVIDIUS, SYMMACHUS, XIPHILINUS.* Illius in Au-
gusti

gusti Imperatoris vita hæc sunt verba : *Equites Romani natalem Octavii Augusti spontè atq; consensu biduo semper celebrarunt. Omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro salute ejus Stipem jaciebant. Item Kalendis Januariis Strenam in Capitolio etiam absenti; ex qua summa pretiosissima Deorum simulacra mercatus vicatim dedicabat, ut Apollinem Sandaliarium, & Jovem Tragædum, aliâq;.* Vid. *CASALIBONUS* in *Suet.* c. 52. Exemplū hujus rei est Vulcanano positum donum seu ædes facta vel refecta ex Stipe, quæ conlata est Anno Urbis DCC XLV. teste inscriptione veteri, quam *TORRENTIUS* alicubi profert :

IMP. CÆS. DIVI. F. AUGUSTUS.
 PONTIFEX MAXIMUS.
 IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV.
 EX. STIPE. QVAM. POPULUS ROMANUS.
 ANNO. NOVO. APSENTI. CONTULIT.
 NERONE. CLAUDIO. DRUSO.
 T. QVINTIO. CRISPINO. COS.
 VOLCANO.

Ea item Strena, quam A. U. 1000. populus contulit, Laribus publicis consecrata est. Vetus hac de re ita testatur Lapis :

LARIBUS. PUBLICIS. SACRUM.
 IMP. CÆSAR. AUGUSTUS.
 PONTIFEX. MAXIMUS.
 TRIBUNITIÆ. POTESTAT. XVIII.
 EX. STIPE. QVAM. POPULUS. EI.
 CONTULIT. K. JANUAR. ABSENTI.
 C. CALVISIO. SABINO.
 L. PASSIENO. RUFO. COSS.

Inscriptionem hanc recenset *Henricus Loritus Glareanus* in *Not. ad Suet. Aug. c. 19. fol. 1717.* *OVIDIUS* ita hac de Stipe Janum suum interrogat *lib. 1. Fast:*

*Dulcia cur dentur, video. Stipis adjice causam,
 Pars mihi de festo ne labet ulla tuo.*

Cui Janus priscâ illâ simplicitate pluribus collaudatâ, at posteriorum improbatâ ac damnatâ temporum avaritiâ & luxuriâ, ita tandem respondit :

Tu tamen auspiciū si sit Stipis utile, quæris,
 Curq; juvent nostras æra vetusta manus?
 Æra dabant olim: melius nunc omen in auro est,
 Victaq; concessit prisca moneta nova.
 Nos quoq; templa juvant, quamvis antiqua probemus,
 Aurea Majestas convenit ista Deo.

SYMMACHUS ad Theodosium & Arcadium Augustos sic per-
 scripsit l. 10. Ep. 35: Sumite, defensores publicæ salutis, solenniter au-
 ro ducta munuscula, non quia divitis metalli honore gaudetis, sed ut
 nostra devotio felicitis seculi testetur opulentiam. Bonis principibus
 bene parta libamus: suscipite à Judicibus aperta obsequia, qui pretia
 occulta damnatis. Merito vobis solennes pateras cum quinis solidis,
 ut numinibus integritatis offerimus: quibus nec vester pudor, nec noster
 census oneratur. **XIPHILINUM** tandem produco Dionis Epito-
 matorem, de Cæsare Augusto italoquentem lib. 54: Cives Ro-
 mani adducti benevolentiam ad eum ineunte anno (ἐν τῇ πρώτῃ τῆς
 ἑταῆς ἡμέρας) venerunt argentumq; omnes dederunt, dispari tamen nu-
 mero: ille quoq; tantundem aut plus eo non modò Senatoribus, sed etiam
 reliquis omnibus reddidit. Magna hæc erga se inferiores Augu-
 sti humanitas, benevolentia, munificentia, quam superare ta-
 men Tiberii Neronis videtur, qui teste **SUETONIO** cap. 34. qua-
 druplam Strenam (h. e. quadruplo majorē, quam accepisset ipse) &
 quidem suam de manu consveverat reddere: usque dum totius
 mensis interpellatione ab iis facta, qui potestatem sui die festo,
 h. e. Kalendis Januariis, non habuissent, offensus nihil ultra
 redderet, Strenarum prætereà commercium, h. e. vicissitudi-
 nem dandi & accipiendi Strenas, edicto prohibens, ne ultra
 Kalendas Januarias exerceretur.

§. 5. Atque ita Strenarum se habet Antiquitas ac varietas,
 missarum verò earundem & datarum Usus similiter est multi-
 plex. Inferiores superioribus offerebant animi subjectionem
 & observantiam ut redderent, attestante **SYMMACHO** l. 10. Epist.
 35. Superiores inferioribus, non solum ut liberalitatis in ipsos
 specimen darent: unde **SYMMACHUS** d. l. Ep. 27. Theodosii &
 Arcadii Imp. Augg. munificentiam stata etiam liberalita-
 tis


his tempora prævertentem admodum evehit : verum etiam ut strenuitatis ac vigilantia inferiorum forent testimonium & ad eandem alacriter continuandam ulterius incitamentum. Quamquam enim ipsa sibi pulcherrima est merces virtus, ubi tamen honore ac præmio muneratur, alacrius, quam insistit viam, pergit. Solebant autem ipsi Principes Kalendis Januariis munera mittere Viris Strenuis, ut patet ex *l. 4. §. 1. C. de Advoc. div. jud.* & dies ille festus, largitionum dies appellatus fuit, uti ex *NICEPHORO lib. 10. c. 23.* adnotat *GOTHOFREDUS JCIus ad d. l. Cod. add. REBUFFUS ad l. 18. de V. S.* Militibus redditas fuisse Strenas ab Imperatore Autor est *SOZOMENUS Histor. Eccl. l. 4. c. 6.* ubi de Juliano narrat, quod Kalendis Januariis milites remunerarit. Confer-sis, quæ annotavit *DEMPSTERUS Paral. ad l. 1. Ros. Antiq. Rom. c. 13. p. 38.* Hancque Imperatorum in dandis strenis consuetudinem secuti sunt Reges Angliæ, referente *POLYDORO VIRGILIO lib. 5. de rer. invent. c. 2.* Et hodiè quoque in Anglia inferiores Kalendis Januariis Strenas offerre solent, Clientes scil. suis Patronis, teste eodẽ Auctore. In Italia summi dare solent infimis, vid. *SPEIDELIUS in Specul. Var. Jur. Polit. b. v.* In Germania sine discrimine deferunt Strenam tam inferiores superioribus, quam superiores inferioribus, & æquales æqualibus, qui tamen dantibus aliquid vicissim donant, ut liberalitas, ceu boni animi indicium, mutuo compensetur. Conf. *BESOLDUS in Thesaur. Pract. § 70. JACOB DRACO lib. 1. de Orig. Patricior. c. 6. fol. 56. & seq.*

§. 6. Pares Strenarum hoc commercium exercebant, ut de mutuo inter se affectu ac benevolentia sinceriori constare posset, ipsaque amicitia facta tecta que conservaretur. Ea enim veri amoris veræque amicitia est vis & natura, latere ut nequeat, nec debeat, sed ignis instar foras erumpat, beneficiis officiisque sese ostendet. Unde *ARISTOTELES l. 8 Eth. Nicom. c. 2.* amicitiam describit, quod sit benevolentia mutua non latens. Denique universim omnes Strenæ illæ ac munera boni ominis gratia commebant. In felix novi anni auspiciis Amicis, Cognatis, Parentibus atque Patronis mittebantur munera, ait *HUNGERI-*

REGIUS in Orat. 20. part. 2. Innuit id quoque THOMAS NAOGE-
ORGUS lib. 4. Regni Papistici pag. 133. ubi ita canit:

Post casis Jani tribuuntur dona Kalendis,
Atq; etiam Strena charis mittuntur Amicis,
Conjugibusq; Viri donant Gnatisq; Parentes,
Et Domini famulis, anni felixq; precantur
Principium.

Sed ego hic desino & NUMEN ÆTERNUM veneror, ut omni-
bus ac singulis, summis, medioximis, infimis, feliciter & ex vo-
to novus hic Annus decurrat. Tuum verò est, quicumque mihi
continges LECTOR, STRENAS hasce serenâ fronte accipere,
& nil nisi benevolentiam redhostire. Sic votum meum repeto,
TE que annare & perennare, veteri ex formula, opto, volo,
jubeo.



Exurge festo Musa agedum die,
Exurge, nescis, tempora qua sient?
Et lata sunt, & fausta, qua jam
Carmina dicat Apollo psalle.
Jani Kalendas auspiciis bonis
Ex Juliano more veterrimo
Rursus beatè inchoamus,
Munera ferre libet, licebit.
Fert ille numos, munera fert flavi
Alter metalli, convocat illicò
Hic hospites, nunc hinc & illinc
Strena venit, veniuntq; dona,
Amico amicus scilicet intimo
Cliens Patrono, mittere qua solet.
Donum quidem, sed tale mitto,
Mittere quale solent Poëtae:

Hoc nempe quicquid chartaceum vides.
 Aurum det, auri pondera qui tenet,
 Det copiosus vina vino
 Optima dent alii metalla.
 Opto quod optas ipse Tibi lubens,
 Opto tot annos pectore, quot petis
 Ut possis omni sanitate
 Vivere; vivere digne felix!
 JEHOVA pacem pacificus Tibi
 Nobisq; cunctis donet, & adferat,
 Fiat, DEUS, fiat voluntas
 Perpetuò tua sancta, fiat!

PRÆSES.

STrenuus is miles, qui pugnat fortiter, audit,
 Quique sua hostilem deprimit arte manum,
 Strenuus & meritò Musarum Cultor habetur,
 Qui remoras vincit, tarda Vacuna, tuas.
 Eja age! FRITZSCHIA DEN nostrum mens strenua cepit,
 Dum pia de Strenis bella movere solet.
 Adplaudo, laudo; Sed non sine munere Strenas
 Adprecor, ut studiis grata brabèa feras.

Boni ominis ergò
 dutoꝝed.

M. Johann. Weißler / P.L.C.
 & Lycèi Witteb. Rector.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and appears to be in a historical or legal style.

Die Johann...
...



AKT 7930

MC

VDM



